


NUMMVS TRIUMPHALIS

HENRICI III. GALLIARUM RE-

gis, cufus post victoriam propè pagum Ivry partam:

cum effigie Caroli Ducis Maynij:

Anno Christi 1590.



HENRICO Galliarum & Navarra Regi satis feliciter belli alea, sub anni huius initium, ceciderat. Deducto namque ex hybernæ milite in Normanniam pervenit, occupatisque Provincia illius plerisque oppidis non nisi Rothomagum pertinacius resistens habuit: vice versâ Dux Maynius, cum & suo, & fœderis nomine Farnesium obtestari non cessaret, promissa ante hac subsidia maturaret: paratas prælio copias sub imperio Philippi Comitis Egmondani, eò procedere iussit. His cum suas Maynius iunxisset, ad Navarra castra, quæ tunc circa Druidum Normanniæ urbem habebat, magnis itineribus contendit. Quod dum cognovissent Regij fortunam pugnae experiri statuunt, priusquàm omnes confœderatorum vires coirent. Navarraus signa canere, clamorem tolli, ac pedites primum, deinde equites, quanto maximopossent impetu, in hostem irrumpere jubet. Fit atrox pugna, cadunt utrinque multi, laxatæque machinæ, multum terroris tumultusque in Maynij castra inferunt, mediamque aciem dividunt. Equitatus Domini de Sautes, Comitis Egmondani, & album Maynij vexillum, fortiter pugnarunt, sed tandem cum Egmondano, qui Regis personam aggressus fuerat, cæsi sunt fugatique. Peditatus quoque trucidatus, captus, & in fugam actus. Desiderati sunt è confœderatis Egmondanus, Chastinezaijus, Dar-